

1981-06-18 – SS Ioannes Paulus II - Littera ‘Totius Iamiam’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

TOTIUS IAMIAM

**EM.MUS P. D. BERNARDINUS S.R.E. CARDINALIS GANTIN SUMMI PONTIFICIS
AD XLII EUCHARISTICUM EX OMNIBUS NATIONIBUS CONVENTUM,
LAPURDI IN GALLIA AGENDUM, LEGATUS RENUNTIATUR**

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Totius iamiam Catholicae Ecclesiae convertuntur merito senses et oculi Lapurdum, ad celebratissimum illud Galliae oppidum ubi proximo videlicet Iulio mense a die XVI ad XXIII, Deo id misericordiae potissimum volente, Conventus Eucharisticus, numero XLII ab omnium quidem gentium participibus sollemniter festiveque agetur, cuius sacrorum rituum finem Nos ipsi fecissemus nisi aliter Dominus constituisset. Congressum autem illum certo novimus cura singulari ac studio, ut decet, Conferentiae Episcopalis Galliae consociatis etiam disciplinae eius peritis diligenter sane exornari, quin immo praeterea convenienter praeparari aptam per tractationem doctrinarum ad mysterium Eucharisticum varie spectantium in peculiari «Symposio Internationali» Tolosae. Inde nunc facile providere valemus unicum illum Ecclesiae universalis eventum fervore religioni fideique testimonio illustrem fore tum sua celebratione prosperum ac fructibus omnino uberrimum. Porro Sanctissimae Eucharistiae cultus et honor Mariae Beatissimae illic praeclariorem in modum cohaerent ac veluti uno concinunt Ecclesiae usu fideliumque adfectu. Ibi enim Immaculate Dei Genetrix, quae initio se dederat crebrius adspiciendam, declarata innumerabilium hominum pietate plus iam centum annos excolitur; ibi vero cum eadem mariali laude iungitur cotidie Sacrificium Eucharisticum, dum infirmi quoque a Domino Eucharistico transeunte beneque omnibus faciente invisuntur. Huc dein accedit quod dignissimum commemoratione studiosa esse diuturnaue recordatione censemus titulum ipsum scienter inditum Conventui: «Iesus Christus - panis fractus pro novo mundo». Idoneus maxime is Nobis videtur ad illam renovationis plenae excitandam in hominibus ac sustentandam spem, quae temporum istorum quasi quidam clarissimus est index quaeque praecipuas suas vires lucisque ex Eucharistiae Sacramento haurire potest. Siquidem vera omnis mundi renovatio, qua hodie tantopere indiget genus humanum, spiritualis in primis iudicatur ac supernaturalis. Sacramentum autem hoc ineffabilis divini amoris homines totos recreat redintegratque Christi ipsius Servatoris praesentia mystica, gratia salvifica, lucifera doctrina. Reapse concipi animo nequit fons copiosior neque origo certior iuventutis, ut ita dicamus, spiritualis quam ipsum illud convivium quod Iesus Nazarenus tamquam supremum dilectionis suae testimonium instituit pignusque sempiternum vitae perennis suorum assectatorum. Hic panis vivus quo nutriuntur, hic unus quo reficiuntur potus efficiunt profecto ut – secundum verba alterius Praefationis de Sanctissima Eucharistiae – «gratiae Tuae suavitate perfusi ad caelestis formae imaginem transeamus», id est ad vitae novitatem, operae christianae alacritatem, universi orbis reparantem caritatem. Etenim idem Ille Eucharisticus panis oblatus quondam pro nobis traditur sine intermissione ut homines mutuo segregati aliquando sed ad unitatem divinitus saepe revocati detegant in se novum erga Deum amorem inter seque novum fraternae necessitudinis vinculum. Haud sine optima causa exsultat Mater Ecclesia voceque elata proclamat hodierna in Sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi: «Recedant vetera, nova sint omnia: corda, voces et opera». Quibus ex dictis simul patefit non istic agi de pio cuiusdam affectionis somnio at de more vivendi novo Christianorum proprio et Sanctissimae ipsi Eucharistiae firmiter innixo. Velde proin exoptamus ut Eucharisticus hic Conventus Lapurdensis animos singulorum prope ac longe participum inflammet ad vias novas Christi Evangelii cognoscendas percurrendas et ubique instituendas. Quo itaque maiore Nostra auctoritate illud contingat et alla quidam praesentia Nostra, non scilicet corporis, confirmantur eiusdem propositi Conventus, idcirco te, Venerabilis Frater, qui Patris dignitate purpurati spectabilis ac pietate Eucharistica insignis es inde a temporibus ministerii tui apud gregem dilectissimum Cotonuensem, eligimus Legatum Nostrum ac renuntiamus ut iure Nostrum gerens personam Lapurdensi ex omnibus populis Congressioni Eucharisticae pro Nobismet praesideas.

Minime ceterum dubitamus, quin pro impensa tua erga Apostolicam Sedem fidelitate amoreque in Christi Vicarium quo nites commissum hoc tibi munus feliciter sis ac salutariter impleturus. Divinum tandem Eucharistiae ipsius Auctorem supplices precamur ut proximus idem Conventus fructibus optatis redundet et effectibus, qui valde sine dubio ab omnibus iam exspectantur et ut in spiritualem renovationem terrae Galliae tum Europae tum mundi cuncti bene celebratio vertat. Quae imo ex pectore ominati tibi, Venerabilis Frater Noster, S.R.E. Cardinalibus adsistentibus et Episcopis, sacerdotibus et religiosis sodalibus necnon ipsis fidelibus singulis, qui Eucharisticis istis intererunt

sollemnibus, Benedictionem Apostolicam caelestis luminis roboris solaminis auspicem Nos amantissime omnino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, in Sollemnitate Corporis et Sanguinis Christi, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*